

CAROLI FRIDERICI
KALTSCHMIED

H. T.
FACULTATIS MEDICAE
DECANI

PROGRAMMA INAUGURALE

DE

VVLNERE CAPITIS

A CHIRVRGO INTEMPESTIVE CONSOLI-
DATO FISSURA CRANII NEGLECTA ET
TREPANATIONE FELICITER
INSTITVTA DETECTA

DISSERTATIONI
CLARISSIMI DOMINI DOCTORANDI
CHRISTOPHORI GOTTLIEB SCHVLZII
GREIZA VARISCI

OBSERVATIONES
QVASDAM CLINICAS SISTENTI

DIE XI. MAI. A. R. S. MDCCLIV.
HABENDAE PRAEMISSVM.

IENAE, LITTERIS TENNEMANNIANIS.

Chirurg.

78,32

CAROLI FRIDERICI
KALTSCHMIED

H. I.
FACULTATE MEDICAE
DECANI

PROGRAMMA IN AUCTORALE
DE

VILLNERE CAPITIS
A. CARLUSO INVENIENSIVE CAROLO
DATOTISSYRA GRAM NIGROGATA ET
TREPANATIONE TUBICTER
INSTITUTA DUBOIA

DIRECTIONE
CLASIM DOCTO DOCTORANI
CHRISTOPHON GOTTILIB SCHWARTZ
OFINA VALLICI

OBSERVATIONES
QUADAM CLINICIS SISTENTI
PULSAL A. R. E. MEDICIN
HABEN AB PHARMISSYAL
IN VNE, LITTRIS TENN MANIAND



Mulier XL. annorum die VIII. Nouembr.
a. p. ictu baculi grauioris in capite ita
vulneratur, vt integumenta prope fu-
turam sagittalem in sinistro latere ad longitu-
dinem trium digitorum hiarent, cranio denu-
dato, multumque sanguinem plorarent. Vul-
nerata, doloribus macerata ad chirurgum or-
dinarium in proxima vrbe defertur, qui mi-
nus curate inuestigato vulnere, emplastro im-
posito speciebusque resoluentibus exhibitis
pro facculis cum vino calido adhibendis vulne-
ratam dimittit, postero die deligationem ipse
persequitur, et per sex dies subsequentes fa-
mulo deligationem committit, vulnusque pro
leui integumentorum vulnere venditat et
quamuis dolores in dies augerentur, ita, vt
a quarto ad octauum vsque diem visu orbare-
tur vulnerata, nono die chirurgus accedens
tamen vulnus periculi expers renunciat, ne-
que fotibus capiti vltcrius prospicit, vulneris
inte-

(2

inte-



integumentorum externa facie nullam minitante periculum deceptus. Nec grauioribus symptomatibus commotus magis prouide agit, sed tumoribus pone aures exortis, vertigine superueniente, dolore punctorio sub cranio oborto, doloribus versus ceruicem se extendentibus, imo totum caput occupantibus auctisque accedente masticatione, omne periculum abesse confidit. Nullo igitur symptomate ad accuratius laesionem cranii inuestigandam perducitur, sed suo officio satisfecisse se credit, vbi post trium septimanarum spatium vulneris integumentorum curam absoluit.

Consolidato vulnere symptomata potius augentur quam imminuuntur. Dolor punctorius sub cicatrice, grauatius in toto capite, frigus in fronte et occipite, susurrus aurium, vertigo, motus quasi fluctuantis cerebri sub cicatrice et cranio ibidem aegram per vices ita affligunt, vt nulla quies nocturna corpus reficere possit. Caligo oculorum aciem infringere et in dies magis turbare coepit. Masticatio grauissimo circa cicatricem dolore inhibetur, fili dentibus compressi et altera parte manu

manu



manu detenti et fortius tensi leuissimum motum perferre non poterat sine ingenti cruciatu. Chirurgus tamen artis suae peritia constanter confisus de egregie curato vulnere gloriatur. Venerabilem loci Physicum aggreditur aegrotam, qui in omnes circumstantias ac symptomata inquirens vulnus intempestiue clausum pronunciat, chirurgus contradicente ac intrepide curam defendente. Ego in consilium ante tres septimanas vocatus modo memorata symptomata deprehendens ante quatuordecim dies aegrotam ad me deferri iubeo. Cumque dolor punctorius sub cranio in eodem loco, vbi laesio externa fuerat, auctus per masticationem et fluctuatio ibidem percepta, vna cum reliquis symptomatibus fissuram cranii in cura praecedenti neglectam certissime demonstrarent, non moratus trepanationem institui die XXIV. Aprilis. Incisis igitur secundum artem integumentis, ac denudato prope cicatricem cranio, fissuram secundum cicatricis longitudinem inueni et prope eandem cranium secundum artem perforaui. Frusti cranii prouide extracti tertiae peripheriae parti margo duarum linearum latitudinis adhaere-

X 3

haere-



haerebat qui ab inferiori cranii tabula sponte separatus fissurae vestigia monstrabat et hinc nos certiores reddebat, fissuram vtramque tabulam penetrasse, humoris supra duram collecti matrem circiter $\text{z}ij$ eduxi. Hinc aliquot inferioris tabulae festucis minoribus separatis extractis, dolorem punctorium fugatum et symptomata omnia mitigata vidi, viribus etiam subsequentibus diebus in tantum collectis, vt ad me haec scribentem, cum hodie duodecimus ab operatione sit dies, ipsa accesserit et retulerit, se hac nocte placide dormiuisse.

Temeraria vtique sui fiducia et execranda ignorantia chirurgi tam periculosis symptomatibus aegram subiecerat, vt cruciatibus inde ortis, tantum non succubuerit, ita vt facile funestus inde euentus sequi, laedensque aequae ac laesa grauius affligi ac innocens morti tradi potuisset, cum tamen caterua symptomatum fissurae cranii indicium dederint certissimum. Chirurgus, si primis statim diebus inuestigata et decenter curata fissura omne anceps periculum fugasset, duplex opprobrium euitasset, cum et ignorantiae nota iam ipsi iniusta sit et pessimo ausu propriis viribus confusus
medi-

❁ ❁ ❁ 7

medici auxilium non implorauerit decenter, qui accuratius inuestigare et medelam rite adhibere iusto tempore potuisset, cum nulla vulnera capitis chirurgi negligentiam admittant, etsi symptomata grauiora aegros non tam cito et cateruatim prout nostrum vulnus comitentur.

Praemittere haec volui inuitationi ad Dissertationem inauguralem

CLARISSIMI DOMINI DOCTORANDI
CHRISTOPHORI GOTTLIEB SCHVLZII,
qui vitae curriculum sequens nobis exhibuit:

EGO CHRISTOPHORVS GOTTLIEB SCHVLZE natus sum Greizae Variscorum d. XII. Sept. clō 1000 xxxi. Patrem tantum adhuc veneror GABRIELEM Celsissimi Comitis HENRICI III, Chirurgum aulicum. Vsque ad annum clō 1000 xxxviii. in Lyceo Greizensi commoratus d. IV. Maii clō 1000 cxxlix. Halam profectus, ibi audiui in philosophicis MAIERVM WEBEROS ut et b. defunctum B. Wolfium. Anatomiam docuit me Boehmerus, physicesque fundamenta KRUGERVS. Cursum sic dictum medicum hausi ex ore Illustr. BVCHNERI coniunctis apud eundem priuatis lectionibus de materia medica, publicisque collegiis de visitandis aegris et medicina forensi interfui. Per semestre quoque tempus Organicorum Scholas praesertimque IUNCKERI tam theoreticas quam practicas clinicasque visitaui. Chirurgi-



rurgicis porro Pharmaceuticis Botanicisque STRUM-
PERIVS me imbuit fundamentis. Chirurgiam artemque
obstetriciam B. BASSIVS. Anno cl̄l̄cc̄cli. verno tem-
pore Vitebergam adii ibique materiae medicae atque
medicinae forensis B. Vateri Botanicisque ac patholo-
gicis discursibus Celeber. LANGGVTH. interfui Initio
vero cl̄l̄cc̄clii redii in patriam ibique clementissimo
indultu hucusque Praxin exercui.

Ita praeparatus Facultatem nostram adiit li-
centiamque petiit, summos in arte honores
acquirendi. Admissus igitur ad examina con-
suetam eruditionem suam optime probavit et
hinc decretum est, vt futuro saturni die
II. Maii dissertationem suam inauguralem
Quasdam observationes clinicas exhibentem lo-
co horisque consuetis sub praesidio Illustris
HAMBERGERI defensurus sit. Vt igitur Magnifi-
cus Academiae Prorektor, Patres Academiae
venerandi, Hospites omnium ordinum hono-
ratissimi, Generosi, Nobilissimi, Doctissimi-
que Domini Comilitones magna et splen-
dida sua praesentia actum hunc inauguralem
reddere velint splendidiorum, nomine Colle-
gii mei, humanissime rogo atque inuito.

Dabam Ienae 1754. die 6. Maii.

(L. S.)